

40 rantis. Ad hanc autem rem plurima documenta se ingerunt, veluti in lata materia spaciante; sed quoniam et tu nosti que in hac parte intelligo, et ego in aliis curis involvor, hec tantummodo dixisse sufficiat. Unum hoc addo, quod scilicet extrema clausula ultime litterule tue, quam ad me signanter devolvīs, quoniam ambiguum habet sententiam, apud me et socios parum est intellecta. Proinde quantum est in te non teneas nos dubios, aut suspensos, etiam si in fine illius pollicitus sis non iterare sermonem. Venetiis, xj^o kalendas aug. 1375.

23.

Eiusdem ad Amicum.^{a)}

[Vat. cc. 102 v-103 r].

10 Gratissime frater, processum navigationis tue ad insulam Euri-
ripi, ubi nunc te sospitem puto, et cuncta que diseruit epistola tua
directa cancellario comuni socio atque michi, hilariter legi, et sin-
gula volvens que expressa sunt, ibi frequentius repetivi. In qua
etsi multa eleganter descripseris more tuo, plura tamen de aspe-
ritate fortune, de rerum varietate multimoda et cece sortis eventu
tragico stilo videris deplorasce. Ita quippe omnia sunt plena que-
rellis, ita ad precipitium universa sunt prona, ut nil etate nostra
10 tam sterili omnis boni preter elegiam et tragediam verbis conve-
niat seu vite. Nec iam aliud in malis solamen habemus, nisi quod
si mundus, ut sentio, ad deteriora semper innititur et properat in
sordibus mergi, felices nos extimo, qui non in prava et ultima pes-
sime vite sorte fuerimus reservati. Sane quod quereris tellurem il-
lam infestam, intemperiem aeris, genus hominum rude, victum in-
sipidum gustui, et demum silvestria omnia concurrere: satis quidem,
ut verum fatear, molestum censeo apud indigestos et rudes vitam

⁴⁰ materia] *M. L.* maria. ⁴¹ in] *om. Vi. M. L.* ⁴² *Vi.* sufficient. sci-
licet] *Vat. si.* ⁴⁴ *Vi.* perinde. ⁴⁶ sermonem] *Vi. aggiunge* Valeque, *M. L.*
Vale. ⁴⁷ 1375] *om. Vi. M.* *Tutta la datazione manca nel L.*

^{a)} Cfr. a pagg. 84, 103, 144, 145.

⁴⁹ sterile *cod.*